

tribus verbis attingimus, quod ignotum esse nemini potest: post *Lullistas* decimo quarto seculo *Raymundo Lullio* in *Majorca* altera *Balearium* nato auctore, & *Ramistas* patrum nostrorum ævo, *Petro Ramo* parente & majoribus *Laurentio Valla*, *Ludovico Vive*, *Rudolpho Agricola*, oriundos, hac nostra ætate novam *Anti-peripateticorum* Sectam *Renato Cartesio* nomen ac dogmata sua in acceptis ferentem, etiamnum per *Belgium* imprimis *Angliam* & *Galliam* longè lateq̄ve disseminatam esse, sub initium exortus sui *Aristotelicæ Philosophiæ* tantum non interitum & extrema fata minitatum.

IV. Posterioris generis Philosophi ἐκλεκτικοὶ quondam, *Electores*, dicebantur, quod peculiaria Magistri unius dogmata non sequerentur, sed è Sectis singulis verissima optimaque seligerent; ἐκλεζόμενοι, ut est apud *Suidam*, τὰ ἀρέσκοντα ἐξ ἐκάστης τῶν αἱρέσεων: quod iisdem ferè verbis testatur etiam *Diog. Laërt.* sub proœmii finem, introductorem hujus novi modi Philosophandi, aut, ut ipse loquitur, novæ sectæ *Electivæ*, *Potamonem Alexandrinum* indicans, quem ante & post *Augustum* floruisse ex *Suida* constat. Dicebantur etiam in eadem *Præf.* teste *Laërtio*, ἀναλογητικοὶ, tanquam ii qui res ipsas & rationum pondus expenderent, & φιλαλήθεις, h. e. veritatis magis quàm docentium amantes; ὅτι οἴσεως τamen, uti loquitur *Laërtius*, h. e. ex æstimatione sui, & propriâ potius de se ipsis concepta, quàm cæterorum, opinione, qui, quod est *Sectariorum* proprium, omnia alia de ipsis & sentiebant procul dubio & loquebantur: *Miscellionum* quippe contumelioso nomine compellantes eos inter cætera, quasi qui nullo iudicio, vel parvo pravoq̄, miscerent varia placita, ut imperitus coquus jura solet; uti non absque causa existimat *Acutissimus Vossius de Philos. Sect. cap. XXI.* ipsemet interim ἐκλεκτικὸς istos rectiùs quàm *Miscelliones* (odioso præsertim isto vocis significatu) dici, cordatè iudicans.

V. Quic.